

157<sup>2</sup>

# L. ANDR. RESENDII Oratio habita Conimbricæ

In Gymnasio Regio, anniuersario  
dedicationis eius  
dic.



*Quarto Calendas Iulij.*

M. D. LI.

# D. Emmanuelis P. F.

Inuicti, filia. D. IOANNIS, III.

P. F. iuucti. Sorori, Mariæ  
principi eruditissimæ,

L. Andr. Re-  
fendius.



*LABORANTEM* agricolam, oportet pri-  
mum de fructibus percipere, inquit diuinus  
Paulus. Iuxta quam sententiam, omnes qui ex  
literario agro apud nos fructus proueniunt, au-  
gustissimo regi fratri tuo optimo sane iure de-  
bentur. Ipsius ager est, ipse coluit, semetem ipse  
fecit, ipse huic agricolationi conduxit operas.  
Nos quum fructū metamus, faceremus inique, si tanto agricola mani-  
pulos saltem aliquot non offerremus. Quare nostra academia eum mo-  
rem recepit, ut quotannis certo die ad gymnasium regium conueniat,  
& decretam regi laudationem audiat. Mihi pro officio, ea nunc obti-  
git prouincia. Scripsi breuem hanc orationem, quam presentibus Coni-  
bricensi amplissimo Antistite, & Lamecensi electo, ita egi, ut auditus  
fuerim attentissime. Eam quum petentibus discipulis edere constituissem,  
meamque non iam nouitiam in regem pietatem illi cuperem semper au-  
gmento aliquo patefacere suspicionem autem adulationis uererer, confi-  
lium fuit, ad te mittere, quæ me etiam in tuam fidem non grauate pri-  
dem adcepisti. Nam & tu fraternas laudes leges cupidius, & ego tibi  
offeram uerecundius, & quum minus ita uidear blandiri, me tamen  
insinuabo.

Vale.



I VLLVM VNOQVAM  
 fuit tempus, viri doctissimi, quo non  
 modo mihi ipse displicuerim, ve-  
 rum etiam mei me vehementer pu-  
 duerit, hodiernus profecto dies est,  
 quum in vestro hoc confesso, in hac  
 hominum luce, atque adeo frequenti totius fere vr-  
 bis contione, de superiore loco dicturus, concitatae  
 vulgo de me expectationi respondere satis non queo.  
 Equidem ante hac, vt videor, susceptas res ingenio  
 ac oratione pro dignitate sum prosequutus. Sed mi-  
 noribus illis causis dicendi vis & ingenium paria fu-  
 ere. Nunc vero, quum ex maiorum instituto solen-  
 ne vobis est, anno vertente, ad regis nostri opt. max.  
 huius academiae conditoris ac parentis laudes audi-  
 endas conuenire, quanto causa quidem existit illu-  
 strior, quanto amplior materia, quod vireis omnino  
 impares ad dicendum meas esse intelligam, tanto ego  
 magis animo plane concidi, vt qualiscumque in me  
 esse eloquentia videbatur, si non penitus obmutuit, cer-  
 te rebus ipsis considerandis, quibus minus est idonea,  
 ita impediatur, vt nisi oratoris partes hodie mihi neces-  
 sario essent agenda, quas sine ignominia subterfugere  
 non possem, longe melius & honori meo & famae con-  
 sultum fuisse existimem, si amplissimum hunc & or-  
 natissimum locum nequaquam adscendissem. Multum

tamen ex hac qua tenetur difficultate meus alioqui p-  
plexus animus reficitur ac recreatur, quod non sum ne  
scius omneis vos qua estis prudentia, quo in æstimâdis  
rebus iudicio, intelligere, eam à me pro officio susce-  
ptam necessario esse prouinciam, quæ non modo per-  
pusillam meam dicendi copiam obrueret, verum sum  
morum etiam oratorum, & ipsius si nunc resurgeret  
Ciceronis, torrentem illam eloquendi vbertatem di-  
uexaret, vt minori iam pudore adficiendi simus, si am-  
plitudini materiæ verba non suppeditauerint. Quam  
quam ego quû paulo consideratius mecû rem ipsam  
cogito, & quid, non dico iam in vniuersum omnes, sed  
priuatim ipse debeam mête voluo, magis profecto pu-  
dendum mihi esse arbitror, si non dicam, quam si mi-  
nus ornate dicam. Nam vbi vel necessitate, vel ex ani-  
mi candore maiora viribus tuis attentaueris, si tua in  
ea re forte erit temeritas & audacia redarguta, pietas  
certe non poterit non laudari. Verum tanti ipsum te  
æstimare, tantum amare, vt illius per quem creueris  
causa, leuissimam eius quæ de tua eloquétia vulgo ho-  
minum habeatur opinio, iacturam facere reformides,  
id vero non ingratum modo, sed etiam superbum &  
adrogantia intolerabili plenum esse existimo. Quare  
quum in hoc boni viri lædatur existimatio, in illo tan-  
tum disertæ orationis ac elegantia in dicêdo fama de-  
libetur, iniquum erit ingenij laudem nolle minui, de-

ferti officij vituperationem velle potius incurrere. Ad  
 grediar igitur ipsam rem, eôq; iam confidentius, quo  
 ad audiendum alacriores vos esse animaduerto. Tantâ  
 enim pro eximio vestro ac singulari studio, summâq;  
 in ipsum regem obseruantia, animorum vestrorum in  
 me inclinationem persentisco, vt iam non metuum ne  
 vobis non placeat quidquid dixerò, etiam si in maxi-  
 ma rerum copia verborum ieiunitate essem longe quâ  
 sum inconcinnior. Neq; vero me arbitremini ita loqui  
 quasi omnia quæ dici possint, persequuturum me au-  
 deam polliceri. Pauca dicam, & tempori quod ad agē-  
 dum in præsentia concessum mihi est, conuenientia,  
 quod tamen quum anniuersaria vicissitudine superis  
 bene iuuantibus redire soleat, ab alijs & ornatijs & su-  
 auius longe plura, imò semper noua spero audietis.  
 Mihi de summa pientissimi regis in Deū Opt. max.  
 religione, de prudentia, de iustitia, de animi excelsi  
 atque inuicti magnitudine, deque egregia in omni  
 vita moderatione, placuit non nihil attingere. Ita  
 enim dicam verius, quam narrare. Et quidem religio-  
 nem intuenti, quum se certent ante vertere exempla,  
 de ijs, ita vt erumpunt, non ita vt fortasse ordo postu-  
 lat, videtur incipiendum.

Δεινὸς χαράτῃς κατ' ἴσθησιν ὁ εἰς βροτῶν  
 ἐσθ' ἅων γενέσθαι,

dixit Euripides. Et ostendit Plutarchus grauis cum

primis auctor, à parentibus semina quaedam latentiaque virtutis principia in ipsa generatione liberis communicari. Minime autem sperandum erat, vt à Diuo Emmanuele, Diuàque illa Maria, aliter morata soboles, præsertim prima, procrearetur. Quum ergo talem habuisset ortum Diuus IOANNES. III. ab ipsa protinus infantia cum ætate illi creuit & paterna religio, & materna pietas ac sanctitas, verum ita creuit, pace dictum sit piorum manium, vt multis partibus adcessionibusque redundauerit. Vereretur nequis me hæc ad gratiam aucupandam loqui suspicaretur, nisi dicerem apud vos, qui ea non tam exacte dici à me verbo, quam re ab illo fieri & noſtis & quotidie experimini. Sed tamen si quisquam esset odioſe luscioſus, qui in tanta rerum & exemplorum luce hallucinaretur, hunc ego submonerem licere illi ista tribus quasi ex fontibus liquido intueri. Ex ipsa regis pientissimi persona, ex religiosissima domus regis disciplina, & ex ipso diuinitatis publice amplificato cultu. Atq; vt aliquid de persona cõmemorem, ecquemnam ex omnibus, licet antiquitatem omnem longe retro exquutiamus, ecquemnam inquam ex omnibus regẽ proferre poterimus, qui maiori studio ad diuina ferretur? quuius esset amplior & incorruptior numinis maiestatisque summi dei veneratio? quuius mens ad persoluendam iustis hono-

ribus Deo meritam gratiam promptiori magisue memor? Qui magis, vel perparua conscientiae labe terreretur? Cui idcirco piacularium sacrorum usus fuerit siue religiosior, siue frequentior? Olim solebamus flamines atque sacerdotes à precationibus in certas horas rite persolutis, ex frequenti peccatorum exhomologesi, ab assidua salutaris hostiae procuratione, collaudari. Iam ne ea laus ad solos pertineret sacerdotes, regia pietas effecit. Nimum in rege esse id, & superstitioni proximum, obloquentur nonnulli. Sed Hercle neque vlla in deum nimia potest inueniri pietas, quae reges dedeceat, neque si posset, paulo meliores existimari oportet, qui vicina superstitione quasi perstringantur, consceleratis quibusdam & impia fraude obligatis, qui velut *deo*, nullo deorum metu conuertiuntur. In quibus videant ne numerandi isti sint, qui quod admirari maxime per virtutem deberent, satagunt vitio vertere per malitiam. Sed rex nulla superstitione imbutus, verum eximia pietate maximus, quales erga deum cuperet suos esse ciues, ex se primum, deinde ex suae domus & familiae institutione, quae quasi maioribus theatris proposita, preluce vniverso populo, palam ostendit. Omitto quidquid de augustissima Regina dici poterat, quod ea res, sicuti laudis communionem non minus cum causa viri coniuncta est, quam ipsorum inter se animi & mutuo amore &

virtutis æmulatione coniunguntur, ita commodius  
 hoc tempore ab hac communitate nō secernetur, quā  
 alioqui longissima separatim indigeret tractatione.  
 Ad principis serenissimi educationem transeo, qui  
 vnicus ex tam numerosa prole relictus est, in cuius  
 iam verba volentes ac libentes iurauimus, de quo, si  
 quid certi humanæ mentes augurari possunt, nihil  
 non magnum, nihil non augustum nobis pollice-  
 mur. Hunc igitur quum ad regni tirocinium pau-  
 latim assuefaciat pater, & virtutibus omnibus quæ  
 futurum regem deceant, ætatem illam teneram im-  
 buendam curet, quæso nonne præcipuum à religione  
 docet ponere rudimentum? Sed ego parum egi caute,  
 parumque prouide, qui de domesticis regię discipli-  
 nis sermonem institui, re videlicet aperta & prompta  
 ad intelligendum, non item ad dicendum. Nam quo-  
 te vertes, vt in promptu non sit religio & pietas, quā  
 tamen verbis exsequi nequaquam possis. Porro auctū  
 amplificatumq; publice maiestatis diuinæ cultum &  
 religionum sanctitates, quis tam peregrinus est, qui nō  
 norit? tam excors, qui non sentiat? tam infestus virtuti  
 qui non laudet? tam huic reipub. infensus, qui non gra-  
 tuletur? Etenim si veri, si grati velimus perhiberi, non  
 fateamur solum, sed etiam profiteamur oportet, Chri-  
 stianorum sacrorum ritus ceremoniasq; sanctissimas  
 purius & castius sub hoc rege coli atq; seruari, quam



## ORATIO.

antegressis aliquot seculis. Videlicet obscurū est, hoc auctore ecclesiasticam rem longe quā olim augustiori esse ordine constitutam, & aucto diocesium numero multo iam commodius administrari. Deuotorum soliditates in statum pristinum veteri instituto reuocato instauratas. Procuratam in his regnis sacrosanctæ religionis sinceriorem puritatem, & datam gnauiter operam ne impunè peruersis dogmatibus exoticisq; doctrinis polluatur. Propagatam quoq; longe gentiū in abditissimas terras, etiam ante hoc tempus ignoratas, dei opt. max. notitiam, vt tametsi eæ gentes huius auspicijs, nostris armis, deuictæ sint, earum tamen interfuerit ita vinci, bonōq; illis sit seruitutem eam per peti, quæ in veram animorum adserat libertatem, post tōq; fœdissimo simulacrorum cultu, ac dæmonum abiecto iugo, quo obligatę atq; detentæ superstitione turpissima conflictabantur, iam cælum spectant, iam omnium rerum parentem adgnosunt, sanctęq; venerantur. Adumbraui excellentem regis nostri religionem. Dicam breuissime quanta prudentia, quam consideratis semper actionibus nostram gesserit rempublicā. Trigessimus est hic, magnāq; ex parte iam exactus annus, ex quo regni insignibus, &, si prisco mihi more loqui permittitis, non sine solissimo tripudio est inauguratus. Quibus temporibus, si qua vnquā difficillima, nulla profecto constat fuisse difficiliora. Inter duos ma

L. ANDR. RESEND.

ximos ac potentissimos Christiani nominis principes, cum quorum altero nostræ reipub. omnes erant vetustissimæ amicitiaë necessitudines, cum altero, præter hæc, etiam huic arctissima sanguinis amorisq; coniunctio, acerbum diuturnumq; bellum exardebat. Imo ex ijs duobus conflato, ita Europa vniuersa pœne conflagrauit, ita profana ac sacra vis incédij eius inuoluit, vti non modo urbem Romam sedem stabilem & domiciliũ Christianæ sanctitatis, delubraq; sanctissima, atq; sacrorum antistites, verum ipsum etiam maximũ publicæ religionis pontificem ac magistrum, flamma corripuerit. In his difficillimum erat partium studijs non teneri, quum præsertim hinc cõquestionibus crebris, & in iras non obscure iam erumpentibus, illinc apertis violatæ pacis significationibus, insuper adceptis, infesto per emissarios piratas mari, aliquot incõmodis, vrgeretur. In quibus molestijs ita se moderatrice gessit prudẽtia, vt neq; consanguinitati defuerit, neq; amicitiam læserit, neq; suum regnum passus sit funestissimo bello implicari. Multa præterea dici ac commemorari à me possent, quæ consulto prætermittenda esse duxi, ne longissima vos oratione cogar detinere. Illud summatim ac breuiter dictum sit, nouos sæpe casus se obtulisse, ad quos nisi consilia maximæ prudentiæ plena adcommodasset, forte neq; tam firmæ nostræ opes, neq; tam florentes nostrę modo res

essent publicæ. Non ignoro aliquam multos esse, qui, ut est generosa Lusitanorum indoles, & ad belli gloriã quam ad pacis artes ab natura pronior, hæc vsq; adeo non probent. Quin etiam recordor quum ista contingerent, plerosq; vulgo bellum inclamasse, & in optimum providentissimúmq; principem licenter stomachum erupisse, quasi illi vitio verterent, quod nimium studiosus esse pacis videretur. Sed illorum ego sicuti animorum alacritatem ad bellum pro patria suscipiendum non vituperarim, ita huius factum non lim reprendi. Neq; enim, si illi vere se Lusitanos, hoc est, fortissimos fidelissimôsq; ostendebant, committendum huic erat, ut se Lusitaniæ vere regem esse, hoc est, patriæ parentem, non ostenderet. Sciebat ei se genti imperare, quæ non vinci sed vincere consueuisset, cui fortunarum capitísq; pericula omnia posteriori loco sint, quam regis non modo salus ac dignitas, verum ipsa etiam imperia. Sed simul intelligebat nullam esse victoriam tam facilem, ut magno rerum ac sanguinis pretio non ematur. Quare parteis esse suas iudicauit, talium ciuium commoda habere carissima, ut interim illud non omitam, nunquam cum Christianis tam iustum suscipi bellum, quin multum sceleris contineat dum indicitur, multo plus contrahat dum administratur. Christiana igitur moderatione vsus rex æquissimus, nefario bello tum ipse

abstinuit, tum illud cupientibus denegavit. Quod si qui præferoces atq; bellicosos vsq; eo titulos admirantur, ijs Indici Carmanicâq; triumphi in mentem veniant, ij inquam debellatos non ita pridem reges potentissimos, bellicosissimas nationes iugo pressas, Turcarum pestiferam gentem & vnis omnium Christianorum Lusitanis infensissimam, toties illic ad interuersionem casam atque deletam, in memoriam redigant, sibiq; gratulentur, quod regis vere maximi prudentia foris vincant, domi pace saluari perfruantur. Porro de iustitia dicturus, vt breui rem absoluam, non hærebo in commonstranda legum nostratium æquitate, qua tanta pollent, quanta quæ vsquam apud vllas gentes æquæ, sanctæue, aut sint, aut fuerint. Non in magistratuum creandorum diligentia iustitiæue administratione percommoda, quandoquidem hæc tametsi rex æquissimus præstat, ac bona ex parte etiam vel instituit, vel correxit, videtur ea tamen simul cum hereditate quam creuit, à maioribus adcepisse. Ad illud quod proprium & peculiare ipsius est, mea festinat oratio.

*Δίκαιος ἄρ' ἦς, τῶν τρέπων χροῖν νόμος,*

dixisse Menandrum legimus. Iudicabat homo peritissimus illum iustum re esse vera, qui moribus tanquam legibus vteretur. Cernite igitur animo viri sapientissimi regis nostri mores, & si à iuris æquabi

## ORATIO.

litate deflectant, mendacij me atq; vanitatis reum co-  
 arguite. Non alea, non lusionibus vllis delectatur,  
 non profuso comestationum adparatu, aut epulari  
 ad cubatione tempus rebus agendis subtrahit. Solus  
 more maiorum, propalam atq; in omnium conspe-  
 ctu cibum capit, sine omni vinolenta potione. Cō-  
 iugium, si quis alius, seruat integrum & incontami-  
 natum. Vestevitur non tam pretiosa, quam mun-  
 da, nigra, tonsa, vel vt multum, villicrispa. Bom-  
 bycinæ vsu, quem suis interdixit, ipse primus ita ab-  
 stinet, vt si cultum spectes, vnum ex priuatis ali-  
 quem iudices, quum tamen incessum, grauitatem,  
 ac vultus maiestatem intuearis, protinus regem ad-  
 gnoscas. Hi mores, quum nihil à legibus discrepēt,  
 dubiū ne est, ita moratum regem iustitiæ fore stu-  
 diosum, atq; à tyrannica dominatione abhorrentem?  
 Mihi vero iustitiam & continentiam huius intuen-  
 ti, non modo patria hæc à tyrannide omnino vide-  
 tur aliena, sed, quod cum magna mea voluptate di-  
 co, etiam vna omnium vel maxime. Multas ego  
 viri clarissimi, ingenij excolendi causa, regiones pe-  
 ragraui, in quibus non tam aliud semper egi, vt quam  
 quam id curiose non exquirerē, consuetudine tamen  
 has vulgi conquestiones non audirem, reges, dyna-  
 stas, magistratus, in bona ac fortunas priuatorum  
 recte, aperte, iure, iniuria, inuolare, tributis, fiscis

aucupio, oblationibus, collectis, indictionibus, censibus, præstationibus, nullum esse modum. Atqui in Lusitania expedita simplèxque est canonis ac vestigalium præstatio, exactio minime violenta, redemptoribus perfaciles remissiones, oblationes vero vt moderatæ ac raræ, ita iuxta nominis notationem sponte in conuentibus oblata, indictiones nullæ, census omnino ignoratus, pensitationum cæterarum aliter atque aliter adpellatarum, summa immunitas. Iustissimi ergo sunt, & vt ita dicam, ex sanguines nostri regis annui redditus. Quos tamen si quas in res insumat exquiramus, inueniemus magis quempiam ærarij publici ordinarium dispensatorem, quam principem suæ ipsius rei dominum. Quotam enim eorum partem in suos priuatos vsus & basilicanas functiones decerpit? Classibus ædificandis, & tam naualibus socijs, quam militibus ad regni tuitionem ornandis, molibus ac naualibus exstruendis, arcibus muniendis, præsidijs alendis ac sustentandis, fluminibus, arcibus, nouis pontibus faciendis, quæue conlapsi vetustate sint restituendis, paludibus exsiccandis, & in solum frumentarium redigendis, annona duriore subleuanda, rectoribus prouinciarum vrbiumque magistratibus salarijs constituendis, alijsque rebus similibus faciendis, regij fisci, & ex barbaricis victorijs thesauri, penitus exhauriuntur. Teneri ad id ex officio facien-

dum, dicet aliquis, & commeritum in se culpam, si  
 prætermiserit. Sit ita sane. Sed hoc idem, est iustum  
 esse regem, qua de re nunc agimus, videlicet iustam  
 effugere reprehensionem. Ego autem vobis ante ocu-  
 los exponam alia, quæ ad solam beneficentiam libe-  
 ralitatè que pertineant, quæ que prætermissa repre-  
 hensionem meritam non incurrant, ut tum ex priori  
 illo genere, tum vero ex hac magis populari plausi-  
 bilique iustitiæ parte, non modo suis, sed etiam exte-  
 ris, & admirabilem & amabilem debere esse hunc, me-  
 rito eius fateamini. Rhodum ærumnosam illam obsi-  
 debat immanis Turcarum exercitus, & coniuventi-  
 bus ijs qui reipublicæ Christianæ duces vel perhiberi  
 primi, vel soli esse contendunt, noster hic classem om-  
 ni bellico adparatu instructissimam eò misit. Quæ  
 nisi aduersis ac omnino incommodis tempestatibus  
 esset iactata, adeo, ut ad tempus adesse non potuerit,  
 forsitan illud aduersus nostræ religionis hostes nobi-  
 le propugnaculum nequaquam amissemus. Pauci  
 interfuerunt anni, & legatos cum magna auri atque  
 argenti vi in Germaniam misit, ut ibi quanta maxi-  
 ma fieri celeritate id posset, mercede conflarent exer-  
 citum, qui periclitanti Ludouico Pannoniæ vtriusq;  
 regi, auxilium faceret. Vnûsq; omnium propemodû  
 fuit, qui regis illius labores miseraretur. Exercitum  
 ducebat Carulus Cæsar in ea expeditione qua vagan-

L. ANDR. RESEND.

tem per Pannonias Turcarum imperatorem reprimere. Is exercitus quum esset maximus & fortissimus, & si rei nummariae foret cautum, caeteris omnibus videretur satis contra hostes esse munitus, num obclusa fuit huius in consobrinum liberalitas? Si meum ea de re testimonium tam graue existimarem futurum, quam amplum verumque est, dicerem, viri clarissimi, vidisse me, quum ab legionibus non minori alacritate absentis regi, quam praesenti imperatori est adclamatum. Recentior multo est Tunetensis expugnationis memoria. Quae classis auxilio missa? Quantus virorum ex selecta nobilitate adparatus? Ducem commemorare nollem equidem. Nam videtur indignum breui tantum oratione attingere Loisidem animosum principem, regis ipsius fratrem germanum, studijs, armis, ac tot alijs nominibus rebusque magnum, quuius vnus consilio atque animo fretus Caesar, dissuadentibus, imo & a coepto deterrentibus ijs qui rei militaris omnium peritissimi habebantur, & vrbe potitus est, & victoriam gloriosissimam reportauit. Sed redeamus in patriam, & vt multa eius vrbibus & oppidis praestita beneficia transcurramus, nempe alia ex municipali conditione in adpellationem ciuitatis, iussa meliori esse iure, transiisse, alijs auctiorem datam immunitatem, alijs magnificentissimos aquarum ductus exstructos, alijs de



lubra ac templa sumptuosissime ædificata, religiosissime effata, vt hæc inquam breuiter transcurramus, possumusne sine flagitio præterire, neminem in his regnis reperiri, quius existent vllæ maiorum imagines, permultos vero quorum nullæ, cui ex fisco annua non præbeantur, quius liberi in aula tanquam in communis parentis domo cultum non capiant? Itaq; inde commoda adcipimus, inde alimur, inde victitamus, vt non minus vere quam festiue & false quidã dixerit, alibi, solere reges eos quibus imperant vectigaleis facere, nos autẽ ipsum regem habere vectigalẽ.

Videor ne vobis, viri clarissimi, munificentissimam augusti Regis liberalitatem satis aperte demonstrasse, an testatiorem eam fieri postulatis? Intellego quid expectetis. Sed me dulcis quidam amor, ac potius pietas, ducit, rapit, trahit, vt alioqui festinantem coegerit his commemorandis diutius immorari. Satisfecerat officio Rex inclytus, satisfecerat omnibus, & quidẽ omnium iudicio etiam prolixè satisfecerat, bonitati tantũ naturæ suæ satis esse factum non putauit, dum aliquid esset apud alias cõmodis moribus institutas, nationes, magnum ac splendidum, quod nos desiderare possemus. Præter literarum in omni disciplinarum genere assiduam exercitationem, erat nihil. Ea vna in re ab Italis, à Germanis, à Gallis, ab Hispanis, superabamur. Non quod parum idonea ab natura

nostrorum hominū essent ingenia, Possū enim ostē  
 dere Lusitanos & philologos esse, & intra quinquaginta  
 proximos hos annos non pauciores triginta flo-  
 ruisse, etiam scriptis editis, qui veteribus quum dictio-  
 nis elegantia, tum rerum grauitate, possint iure con-  
 ferri. Possū mulieres quoque ostendere quæ cum  
 omni vetustate certent eruditione, ac in primis Ma-  
 riam regis nostri sororem. Sed quia ad cultum in-  
 genij capiendum fere oportebat peregrinari, nimirū  
 quibus ad id conandum aut suæ facultates, aut prin-  
 cipis deesset benignitas, emergere nequaquam pote-  
 rant. Eôq; fiebat, ut paucioribus felicitas ea contin-  
 geret. Non est igitur passus, nos vltra eius rei com-  
 moditate destitui, sed noua constituta academia, quā  
 tum doctrinarum, quantum elegantix, quantum  
 linguarum ornatiorem apud omnes portionibus ha-  
 bebatur, tantum suo regno simul inuexit. Conqui-  
 sitos vndique viros excellenti eruditione præstanteis  
 magnis propositis præmijs & honoribus, conuoca-  
 uit. Scitis ita esse, adestis, video ego vos, viri do-  
 ctissimi, quorum me non solum mirum in modum  
 recreat, sed etiam cum incredibili voluptate iucun-  
 dissimus detinet aspectus, quorūque in oculis ac  
 vultu libentissime adquiesco, à quibus nominatim  
 appellandis ægre Hercules me contineo, nisi quod  
 susceptum de rege dicendi onus, orationem non pa-

titur euagari. Elegit autem urbem hanc, in qua sedes & domicilium sapientiæ conlocaret, siue quod ea in media est Lusitania, siue quod loco sita ac cælo minime calamitosa, grauioris aëris offensionibus per admodum raro est obnoxia, siue quod eam urbem uoluerit honorare, quæ ab initio rerum Lusitanarum caput gentis & regum sedes ferebatur. Et sane uideatur diuinitus esse factum, ut ex qua urbe olim quasi ab incunabulis regni, armatæ legiones egrediebantur, quæ debellatis Maurorum tyrannis, imperium in uniuersam Lusitaniam paulatim propagauerunt, ex eadem nunc armatæ aliter exeant legiones, quæ omnem barbariem profligent atque exterminent. Igitur Conimbrica, quæ uis uenerabilior iam erat ipsa antiquitatis memoria, quam mœnium ædificiorumq; species uenustior, pleniorve celebritas, nunc deniq; renata senectutem exiit, nouam induit faciem, nouam figuram, aucta ciuibus, cumulata populo, totius Lusitanæ iuuentutis flore frequentata, superbissimis ædificiorum molibus decorata. Delassor, uiri doctissimi, deficit me oratio. Non capit animi mei angustia tantam rerum immensitatem. Quare ut cõpendium uerborum faciam, ualete post hac splèdidissima Italiæ gymnasia, ualete insignes Parisij, uale nobilis ac docta Salmantica, & illæ prisce totòq; olim orbe celebres Athenæ ualete, ualete externi omnes.

L. ANDR. RESEND.

Satis diu sumus in vestris urbibus peregrinati. In finem gremiumque patriæ, optimi principis beneficio iam recipimur. Non potuerunt à me hæc, viri clarissimi, breuius magisue concise enarrari. Reliqua est illa pars, quam de animi excellentis magnitudine vitæque moderatione ac constantia polliciti eramus. Sed quoniam etiam ex ante dictis, excelsus ac ingens regis animus comprobatur, quæ autem de eius in omni vita constantia, & casuum asperiorum modesta perpe-  
 sitione dici possent, eiusmodi sunt, vt eorum etiam nunc recordationem non minus vobis, quam mihi fore acerbam certo ego sciam, viderer parum facere liberaliter, si commemorandis tot liberorum orbitati-  
 bus, tot fratrum optimorum amissionibus, in quibus infractus atque inuictus regis, maximi animus omnino nihil à sua dignitate discessit, latitiam hodiernam contaminarem. Quin imò alacres ac læti, religiosissimo Regi, prudentissimo, iustissimo, beneficentissimo, temperantissimo, verèque parenti patriæ, à Deo Opt. max. salutem incolumitatèmq; precemur. Pro eo vota suscipiamus, vt quam diutissime nobis viuat, is, qui si vniuerso præesset terrarum orbi, tum iure optimo per omnium ora volitaret Homericus ille versiculus.

Ὀὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίᾳ, εἰς κοίραν ὄρω,  
 εἰς βασιλεύς.

Dixi.

D. EMMANVELIS. P. F. INVICTI

FILIAE. D. IOANNIS. III.

P. F. Inuicti Sorori, Mariae, principi  
eruditissime.



Am pridem studijs alijs addictior, cui  
Quantū quūq; mihi, aut uttæ super eſſet agēda  
Decrerā ſterileis procul amandare Camenas.  
Iamq; Helicō ſordēre mihi, iamq; unda Mædu

Cœperat, & ſenſim uileſcere myſtica laurus. (ſc

Siue id iudicio, ſeu quod calor entheus ille

Frixerat, in ſenium paulo uergentibus annis.

Siue quod iratum Genium reperiffet in aula

Libera Calliope, nunquam perſuaſa fauorem

Aut emere obſequijs, aut ancillarier ulli

Admiratori. tantum confiſa probari

Simplicitate ſua, Phœbōq; innixa fauenti,

Limen ad Auguſtum greſſus pietate ferebat.

Diffidium hoc, tripodum rex indignatus Apollo,

Se mihi conſpicuum præbens, his uocibus inſit.

Scilicet idcirco lymphis Aganippidos undæ

Lauimus, & noſtris ingrate ſororibus, aluo

Pœne ipſo ex matris, te mandarâmus alendum,

Vt modo Parnaſſi calcato numine, doctis

Inluſiſſe ſacris, inter iactère profanos.

Ergo ego iam fruſtra pharetrâq; arcumq; ſonantem

L. ANDR. RESEND.

Arma gero? frustra dextram mihi complet arundo?  
 Haud ita me experii Pythou, Niobésq; superbum  
 Ante genus, ualidis traiecti corda sagittis.

Nunc agite ó Musæ, longum mihi carpite ramum.

Ausertum, aut telum adcipiat. sic uoce minaci  
 Certum hinc exitium intentans, hinc Delphica ferta  
 Porrigit. adcepi. morsa tum uirgine lauru,  
 Pierium mea mens diuinitus acta furorem

Concipit. urgentemq; gerens in pectore Phæbum  
 Quid canerem dubius, uel qui mihi carminis ordo  
 Solueret ora, modo hac, illac modo, more ferebar  
 Phæbados adreptæ, pressa quum uoce uagatur.

Ecce autem medias inter Pimpleiadas, ibat

Virgo alacris, lauru flauos redimita capillos.

Et nisi Itoniados nossem simulacra Minera,  
 Hastamq; galeamq; trucemq; sub ægide uultum,

Pallada credideram. incesu dea maxima certe

Credi digna fuit. geminae cui pone ministræ

Hæc graphium & tabulas gestabat, at illa libellos.

Huic chorus ille sacer magno submissus honore,

Arbitrum sancti permisit fontis. auebam

Ecquæ diua foret cognoscere. Nanque dearum

Esse aliquam, dubitare nefas. quum uellit utramque

Calliope auriculam, satis & tu rusticus, inquit,

Es uates, patriæ ignarus, patrij que decòris.

Tolle oculos, tolle eia oculos, adgnosce tuorum

Pallas, ab  
 Itone Thes-  
 salia urbe u  
 bi colebatur,  
 Itonias est  
 adpellata. Cal  
 limachus.

Ἰτωνία  
 ἡ πόλις ἐν  
 Ἰωνίᾳ ἐστὶν  
 ὅθεν αὐτῆς  
 ὄνομα.

EPISTOLA.

Progeniem Regum Mariam, quam maximus ille  
 Emmanuel genuit, frater quam maximus, orbis  
 Destinatus imperio, ac rerum ad fastigia summa  
 Non sine dijs aluit. uidentur ut regina feratur  
 Inter Hyampæas facie pulcherrima nymphas?  
 Porro autem comitum, quæ iam maturior æui,  
 Carminibus tibi nota tuis est Vasia, quibus  
 Ut sileam mores, inculpatæque iuuentam  
 Hactenus exactam, laus est ea magna, quod aula  
 Dux bona uirginibus Latias præluxit ad arteis.  
 Altera Sigæa est, uirgo admirabilis, unam  
 Quam natura potens ideo produxit, ut esset  
 Femina, quæ maribus uitam opprobrire supinam  
 Posset, & ignauos magno adfecisse rubore.  
 Nam quum septenæ uix dum trieteridis annos  
 Computet, indefessa dies, noctesque, Latinas  
 Voluere non cessat chartas, non cessat Achæas,  
 Mosæque, & Solymos rimatur sedula uates.  
 Quin per Achemenios scopulos, Arabumque salébras  
 Currit inoffense, linguarum quinque perita.  
 Quum nihil interea qui se profiterier audent  
 Esse sophos, pudeat saltem nescire Latine.  
 Hæc cognosse satis: sed erunt tibi cætera cura.  
 Dixit, & ex oculis simul abscessere per auras:  
 Nunc tecum ô princeps sermo est mihi maxima, gentis  
 Lusitadum, & sexus decus immortale secundi.

Ioanna V  
sia.

Ludouica Si  
gea.

L. ANDR. RESEND.

Debebam, fateor, tibi carmina, nec mihi quidquam  
 Plus erat in uotis, quam tanto foenore solui.  
 Sed uelut ad Ianum medium qui impingit, & unas  
 Atque alias, aliâsque finit transire calendas,  
 Auget in immensum foeturam sortis iniquam,  
 Donec eò tandem res, non frugaliter uso,  
 Deuenit, ut misero, si creditor urget, opus sit  
 Turpiter addici, duci que, bonis ue paternis  
 Cedere, si prætor uel nobilitate mouetur,  
 Vel caput intègrum ciui seruare laborat,  
 Quod satis esse putet fortunis omnibus illum  
 Exutum, tantùmque sui modo iuris abire:  
 Sic mihi dum tempus nunc hoc, nunc illud, & illud  
 Captabam, adcreuit quod debeo, semper in horas,  
 Vt iam soluendo, nisi nexum addixeris, imo  
 Addictus, nexus, capite omninò que manutus:  
 Nec sim, nec sperem post hac fore. Quantula nanque  
 Vis animi nostri est, ut suffectura sit amplum  
 Ire per Oceanum laudum regina tuarum?  
 Quæ quotquot famam ingenij meruere puellas  
 Aut superas, aut, si dicendum pressius, æquas.  
 Scilicet adsurgit, priscos mirata, uetustas  
 Zenobiæ, & quantos celebris matrona meretur  
 Palmyra dant titulos, grata pietate superbos.  
 Scilicet Eudociam memori sacra uimus æno.  
 Quæ licet insignes & regno & laude ferantur,

De Zenobia,  
 Vide Sudâ.

Palmyra vr  
 bs, palmyre-  
 norum metro  
 polis secundû  
 Stephanum,

De Eudocia.  
 Tzetzes, chi  
 liad. x. c. 306



EPISTOLA.

Non tamen exiguam partem sibi uindicat ætas  
 Illa prior, mirum quum non erat esse disertas.  
 Cornifici' quum docta soror, quum Hortensia uultu  
 Intrepido, horrendum adspiceret dictura senatum.  
 At modo, quum nondum Rhodopen Hæmumq; niualem  
 Barbaries omnis repetit, licet imperet illi  
 Optimus exsilium frater tuus, undiq; lectis  
 Qui lolium infelix satagunt melioribus herbis  
 Exstirpare satis, ne Lusitana iuuentus  
 Iam posthac peregre ueteres suspiret Athenas,  
 Et quamquam hæc ita sint, quum uix tamen unus & alter  
 Cernitur eloquio sexum decorare uirilem,  
 Femina quum coruo contingit rarius albo  
 Artibus ingenuis pollens, linguæq; nitore,  
 Te tua nobilitat uirtus, animosa uirago,  
 Quod doctrinarum raperis dulcedine mira,  
 Atq; animi dotes opibus, sceptrisq; priores  
 Iudicio ducis, rectoq; examine libræ.  
 Deniq; posthabito formæ excellentis honore,  
 Deside mollitia, ac penitus languore sepulto,  
 Excolis ingenium, studijs operata Mineruæ.  
 Nec tibi tam regni spes adblandiur habendi,  
 Quam trahit attonitam facundia docta Platonis,  
 Quam cumulare uiuat libros, tibi pulchra supellex  
 Hæc placet, hæc animum curis oblectat ommissis  
 Quæ stimulare solent mentesq; agitare pusillas.

IO. ANN.  
 III. Lusita  
 nie Rex.

Salve o egregium uirgo decus innuptarum.  
Dij quæquumq; uoles tibi dent : tua uota secunde t  
Qui facileis præbet uotis sapientibus aureis,  
Quem merito dixere Iouem, lucisq; parentem,  
Quem Philium reges, donis potioribus aucti,  
Et colere, & cultu debent potiore uereri.  
Ipse tibi ingenium mite inspirauit ab ortu,  
Ipse etiam imperium nullo tibi fine propaget.

Iupiter φι-  
λιος sic ad-  
pellatus pro-  
pter amici-  
tiam, quæ a ho-  
mines profe-  
quitur.

ο Πρωτόδου & επόλει.



A. iij. fa. i. versu. i. promptiori. lege promptior.

Ad Christum opt. max. crucifixum:



*Vur sic despectus rigido de stipite pendes?*

*Et faciem liuor, pallidaq; ora notat?*

*Quur tenerum sæuo maculauit uerbere corpus?*

*Transfixitq; tuas plebs uiolenta manus?*

*Quur latus, & cerno perfossas cuspide plantas?*

*Quur cerebrum transijt spinacruenta tuum?*

*Quur, quur hæc pateris sanctorum maxime? quæ nec*

*Famosusue latro, prædõe ferre solet?*

*Quod scelus admissum? quid ue in te criminis unquam?*

*Quod sic, hem, fixus, sic cruciatus obis?*

*Dic hominum ante omneis longe pulcherrime natos,*

*Forma ubi? uultus ubi? Dic ubi sancte decor?*

*Hei mihi, tu pro me, pro me, hæc non digna tulisti?*

*Qui mereor Stygias uiuus adire domos.*

*Me me hæc impurum mitissime Christe decebant,*

*Hæc egodebueram morte perire sacer.*

*Verum tu immeritus, quo nunquam purior alter,*

*In cruce sic moreris, ne crucifigat ego.*

CONIMBRICAE.

Apud Ioannem Barrerium, & Ioannem

Aluarum, socios, Typographos

Regios. Mense Iulio.

M. D. LI.

...  
...  
...  
...  
...



COMITATU  
Apud Johannem Barthelemy, & Joannem  
Alanus, locos Typographicos  
Regio Mediolani.  
M. D. LI.